



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbiqve Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxonicam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De constitutionibus Ecclesiasticis, cap. 32.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

De Constitutionibus Ecclesiasticis.

CAP. XXXII.

FAtetur in sua Visitatione Lutherus, multū inordinationis ac mali prouenire ex indiscreta quorundam prædicatione de ordinationibus Ecclesiæ. Velit igitur nunc, ut discretè loquerentur de iisce prædicatores, quia aliquæ factæ sicut propter bonam ordinacionem & pacem. **Quis est verò (Illustriss. Prin-
ceps) inter omnes Suermeros & hereticos, qui** furiosius vehementiusque, ac saepius contra Ecclesiæ instituta vel scripsit vel prædicauit, quam ipse? **Quo enim autore cœpit populus** vesci carnis in **Quadragesima & sextis fe-
riis?** Contemnere festa, venerationesque solen-
nes sanctorum? Irridere oleum sacrum, aquam
& sal, herbásque benedictas negligere? imò fugere ac maledicere Missas & horas Canonicas? Non alio sanè quam Luthero: antea enim nihil horum audiebatur. Postquam enim Theu-tonicè ad Nobilitatem Germaniæ totā Papæ potestatem suggillauit, calumniosèque tradu-xit. Et in Babylone sua scripsit, rogās, quo iute Papa super nos leges constituat. **Quis ei de-
derit potestatem captiuadæ libertatis nostræ,** per baptismum nobis donatę? Cùm neque Pa-pa, neque Episcopus, neque ullus hominū ha-beat ius unius syllabæ constituendæ super

*Ad Nobili-
tatem Ger-
maniae.*

*In cap. Ba-
byl. cap. de
Baptismo;*

L

DE CONSTITUTIONIBVS

Christianum hominem, nisi id fiat eiusdem
In Affertio- consensu. Item in Assertione Articulorum af-
ne art. 25. firmavit, Papam nihil minus quam Pastorem
¶ 27. Ecclesiae Dei, sed Idolum aduersarium Chri-
sto & Euangeliu eius. Certum item esse, quod
Aduersus in manu Ecclesiae aut Papae prorsus non sit, sta-
Ambro. Ca- tuere Articulos fidei, immo nec leges morum
tharrium. seu bonorum operum. Et in visione Danielis.
Decreta patrum arguit tanquam scelerata dogma-
ta Antichristi, & inter facies xij. Antichristi,
connumeravit ea quae in templis sunt & geru-
tur, delectum item ciborum & ieuniorum, fe-
storumque dierum multiplicationem, ut omit-
tamuis infinita alia, quae pleno furore diuersis
libris & sermonibus contra Papam & Eccle-
siam diuulgauit in populo. Non miror equi-
dem ea inde mala in Germanicis populis pro-
manasse, de quibus adhuc hodie & erube-
scunt, & dolent Principes plurimi, omnésque
viri boni, quibus vel mica superest, adhuc seu
religionis seu honestatis. At decuisset te fra-
trumque tuum (Illustrissime Princeps) rebel-
lem hunc Apostatam suo sistere Iudici, aut
saltē admonere eorum quae ipse in contra-
rium prius scripserat. Nam paulo ante sic scri-
pserat in sua declaratione Teuthonica, vtra-
que præcepta & Dei Ecclesiae seruanda esse,
In declara- præferenda tamen esse mandata Dei. In Reso-
tione quo- lutionibus verò, de potestate Iurisdictionis
rundā art. Papae in Purgatorium sic dicebat. Statuat Ec-
In Resolu- cleisia alteram partem eius quæstionis, & se-
conclu. 25.
¶ 26.

quar libentissimè. Ego dubito & dispu^to, & quantum huc usque lego & video, teneo negatiuam, paratus tenere affirmatiuam, postquam Ecclesiæ sic placuerit. An nondum videmus (inquit) quām vigil sit Christus in Ecclesia sua, ut etiam errare volentes, non permittat errare? Et in decem præceptis, Meo (inquit) iu*De decem*
dieo dicam, saluo vniuscuiusque sensu. In *præcep.c.3.*
hac perdita temporis miseria prorsus non est tutum, relinquⁱ vnumquemque, præsertim simplicioris & rudioris animi hominem suæ deuotioni & discretioni, contra apertos Canones. Cuius ratio est (inquit) quia id^eo sunt positi Canones patrum, ut dirigant populum. Et debet vnicuique sua deuotio semper esse suspecta, & tanto magis quanto magis placet, cùm est contra communem usum vel Decretum Patrum: cùm scias, quod angelus Satanæ in lucis angelum fese transfigurans, summè sit timendus & cauendus. Qui sub specie deuotionis facile omnia Decreta solueret. Et illud Deutero. xij. Iud. xix. Vbi præcipitur, imò prohibetur ac reprehenditur, ne quilibet faciat, quod sibi rectum & bonum videtur.

De potestate Papæ.

C A P. XXXIII.

VBi h̄c quæso incipiam? vbi desinam? tam variæ sanè ac contrariæ sunt Lutheri sen-

L. ij